A. lat. a. 585

(Statius)
Weber

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

4° A. lat. c. 585

NATALEM QUINQUAGESIMUM SECUNDUM

AUGUSTISSIMI ET POTENTISSIMI

PRINCIPIS AC DOMINI

FRIDERICI GUILIELMI I.

ELECTORIS ET LANDGRAVII HASSIAE, MAGNI DUCIS FULDAE,
PRINCIPIS HERSFELDIAE etc.

LAETANTI PATRIAE SACRUM

AB

ACADEMIA MARBURGENSI

DIE XX. M. AUGUSTI ANNI MDCCCLIII

ORATIONE

IN AUDITORIO MAIORE HABENDA CELEBRANDUM

INDICIT

CAROLUS FRIDERICUS WEBER

PHILOSOPHIAE DR., PHILOLOGIAE ET ELOQUENTIAE P. P. O., SEMINARII PHILOLOGICI DIRECTOR,
ORDINIS ELECT. GUIL. EQUES.

Inest commentatio de codice Statii Cassellano.

MARBURGI
TYPIS BAYRHOFFERI ACADEMICIS.

Digitized by Google

BIBLIOTECA
REGIA
MONACENSIS

Digitized by Google

DE CODICE STATII CASSELLANO.

In bibliotheca publica, quae Cassellis est, servatur liber manuscriptus Thebaidos Statianae dignus complures propter causas, qui diligenter excutiatur verbisque describatur. Etenim non modo insignis est origine et aetate et scriptura sua, sed etiam ad historiam patriae nonnihil confert, in fine exhibens duo epigrammata ab alia [1]) manu, quam quae Thebaidem exaravit, addita. Prius ita se habet:

Bis quingenteno, Bis trino, Bis quoque bino,
Nascentis Christi, Thebais scripta fuisti.
Aribo donauit, Vbi Hasungae Claustra locauit.

quibus scriptor codicem Thebaidos anno MX [2]) p. Ch. n. scriptum et postea ab Aribone quodam, quum monasterium Hasungae condiderit, donatum esse testatur. Et sane Hasunga est pagus Hassiae, decem millibus passuum Caurum versus spectanti a Cassellis distans, ubi in rupe alta claustrum, cujus turris etiam nunc superest, olim erat magnifice exstructum. *Aribo* autem, qui codicem Thebaidos donasse dicitur, fuit Noricus, genere illustri oriundus, Henrici II Imperatoris consanguineus, archiepiscopus Moguntinus [3]) inde ab anno MXXI, *vir — in divinis scripturis studiosus et eruditus et secularium literarum non ignarus, ingenio clarus et*

1) Id ostendunt literarum formae et atramenti color et distinguendi notae ab iis, quibus librarii in contextu Statii usi sunt, diversae; cf. imaginem codicis in fine dissertationis additam Nr. III. Videtur eadem esse manus, quae singula verba Thebaidos ex collatione alius MS. correxit.

2) Alii numerum ita computarunt, ut sit MLXIV, sed adversatur iis quod fit mentio Aribonis anno jam MXXXI mortui; cf. Serarii Rer. Mogunt. ed. Joannis T. I. p. 467 et Calles. Annal. eccles. Germ. T. V. p. 300. Praeterea numerandi ratio per additionem, qua nos usi sumus, in altero quoque epigrammate ejusdem codicis adhibetur.

3) Calles. l. l. p. 205.

Digitized by Google

dulcis eloquio. — Ad hunc, — eo quod esset amator literarum et doctorum multi viri celebres — varia opuscula perscripserunt [4]). Diem supremum obiit VIII. Id. April. MXXXI, *cunctis — catholicis merito flebilis, quia in omni ecclesiastica religione erat vere laudabilis* [5]).

Sed utrum idem *Aribo*, ut epigramma prius vult, an *Sigfridus* quidam, quem epigramma alterum nominat, claustrum Hasungense constituerit, ea de re inter viros historicos [6]) ambigitur. Qui monasterium illud in honorem S. Petri atque Pauli et ad memoriam Heimeradi confessoris [7]) ab Aribone conditum esse dicunt [8]), testes afferunt scriptores codicis ecclesiae Moguntinae [9]) et vitae Meinwerkianae [10]) et Engelhusium [11]), quibus accedit auctoritate sua epigramma, quod supra legitur; alii, qui Sigfridum archiepiscopum Moguntinum solum coenobii Hasungensis conditorem esse aiunt, id syngraphis [12]) sive chartis publicis ipsius Sigfridi et testimoniis Trithemii [13]) atque Erinheri [14]) probare student. Ordinem scilicet temporum in rebus tunc gestis non satis servarunt. Res ita se habet, ut mihi persuasum est. Jam antequam Heimeradus montem Hasungensem habitaret, Hasungae ad radices montis ecclesia in honorem Petri et Pauli erat condita, ut Ekkebertus testatur [15]); ali-

4) Trithem. in Catal. Viror. illustr. Oper. Hist. I. p. 130.

5) Wolfher de vita Godehardi c. 4. p. 491 apud Calles. l. l. p. 300.

6) Cf. qui hac de re diligenter egit Schlereth in dissertatione: *Das Kloster Hasungen*, quae legitur in Zeitschrift f. hess. Gesch. T. III. p. 137 — 159.

7) Cf. de eo, qui multas perpessus est aerumnas et multa perfecisse fertur miracula, Ekkeberti Vitam S. Heimeradi et Erinheri paraphrasin metricam ejusdem vitae in Pertzii Monum. Germ. T. XII. p. 808 — 612 una cum introductione editoris Rud. Köpke ib. p. 803 sqq.

8) Scriptor Galliae christianae T. V. col. 460 apud Calles. l. l. p. 301, Serar. p. 467 et p. 803 et Haas Versuch e. hess. Kirchengesch. p. 247 sq.

9) Apud Serarium l. l. p. 467.

10) §. 70. p. 550 apud Serarium: *Aribo — super montem, qui dicitur Hasungun, in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli et in commemoratione B. Heimeradi monasterium construxit*, repetita ex Annal. Saxon. anni 1021.

11) In chronic. p. 1083 apud Serar. l. l. *Construxit monasterium in Hasungen, ubi jacet S. Heimeradus.*

12) De quibus postea dicetur.

13) Chron. Hirsaug. ad a. 1072. Oper. Hist. T. II. p. 72. *Sigfridus monasterium ordinis nostri fundavit in Thuringia, quod Hassungen dicitur, in quo et sepultus est.*

14) Vs. 698 sq. apud Pertz. l. l. p. 612. *Post Moguntinus preses dictus Sigefridus Illic cenobium struxit vite monachorum.*

15) Vita Heim. c. 15. *Heimeradus proripiens se de ecclesia — saltum dedit in piscinam, quae ibi erat*; cf. et c. 16. l. 34. 37, ubi eadem ecclesia bis commemoratur; et c. 39, ubi *Petri et Pauli honori et patrocinii fuisse consecrata ejus loci ecclesia* dicitur. Eandem ecclesiam Sigfridus in charta MLXXIV praepositurae novae tradidit in ditionem.

Digitized by Google

quot vero annis post mortem Heimeradi, quae IV. Kal. Jul. MXIX ante festum Petri et Pauli accidit [16]), quum multa miracula ab Heimerado vel mortuo edita esse constaret [17]), Aribo archiepiscopus Moguntinus, cujus ad dioecesin Hasunga pertinebat [18]), super ossa Heimeradi in monte sepulta [19]) non sacellum precibus faciendis, quod Schlereth [20]) et Köpke volunt, sed claustrum, ut epigramma habet, sive coenobium, quod Ekkebertus [21]) dicit, una cum templo satis magno [22]) aedificavit, in templo *altare* [23]) *sancti viri* exstruxit, omnino cultum Heimeradi instituit [24]). Sin autem Ekkebertus Aribonem claustri conditorem ne verbo quidem tangit, inde non sequitur, Aribonem id monasterium non locasse, quum scriptor, qui sane Hersfeldae rogatu Hartwigii abbatis sui (MLXXII — MLXXXVIII) vitam Heimeradi composuit, causas, cur eam rem non commemoraret, facile habere posset.

Is igitur Aribo codicem Statii coenobio Hasungensi recens condito donavit, ut epigramma docet; sed unde habuerit eum, qui anno MX transscriptus esse perhibetur, non constat. Statii sane lectione tunc multi delectabantur, inprimis Paderbornae sub auspiciis Meinwerci episcopi [25]) (MIX — MXXXVI), qui cum archiepiscopis Moguntinis commercia habebat et de rebus Hasungensibus agebat [26]); nihil tamen de codice Statii Paderborna Moguntiam vel Hasungum translato memoriae

16) Cf. Ekkebert. l. l. c. 23. p. 608.

17) Ekkebert. l. l. c. 24 sqq.

18) Schlereth l. c. p. 141.

19) Engelhus. Chronic. supra not. 11.

20) l. l. p. 141 et Köpke l. c. p. 896.

21) Ita appellat Ekkebert. l. l. c. 37. *Quidam ex fratribus de eodem coenobio*; alii dixerunt *monasterium*; cf. et c. 38 et supra not. 10. 11.

22) Ekkeb. l. l. c. 39. id testatur dicens: *Plenum tunc erat de languentibus templum omni genere morborum — et erat videre — quomodo per atrium ecclesiae volutarentur.*

23) Ekkeb. l. l. c. 33.

24) Cultum Heimeradi non a Sigfrido archiepiscopo primum anno MLXXII, quod Köpke l. l. p. 896 putat, sed ab alio prius fuisse conditum ostendit Ekkebert. l. l. c. 32, narrans Meginfredum, Rodingum, Sigfridum, quem diximus, in itinere, quod anno MLXIV in Palaestinam suscipiebant, vento adverso tardatos *fuisse, quia beatum Heimeradum domi sibi in vicino positum eatenus neglexissent*, et ex itinere anno post reduces Hasungum se contulisse et beati viri sepulcrum visitasse. Idem Sigfridus in charta anni MLXXIV Hasungum largissimis oblationibus et elemosynis tam suis quam *praedecessorum* suorum temporibus frequentatum fuisse dicit.

25) Vita Meinwerci c. 32. in Script. rer. Brunsv. p. 546. *Viguit Horatius magnus et Virgilius, Crispus ac Sallustius et urbanus Statius.*

26) Schlereth l. l. p. 141.

Digitized by Google

est proditum. Codex autem postea anno MDXXVIII, ubi coenobium Hasungense jussu Philippi magnanimi sublatum est [27]), Cassellas migravit ibique nunc in bibliotheca publica servatur [28]).

Post Aribonem de coenobio Hasungensi optime meruit ***Sigfridus ab Eppenheim*** [29]), primum monachus, tum (MLVIII) abbas Fuldensis, deinde (ab anno MLX) archiepiscopus Moguntiae, ***vir magnificus, doctus et religiosus*** [30]). Is quum Hasungum, ubi S. Heimeradus erat sepultus, in multa veneratione apud nobiles ignobilesque esse vidisset et omnia, a cultoribus piis oblata, ***quaestuosis secularium sumtibus*** impendi neque supplicationes deo debitas pro sacrificantibus exsolvi intellexisset, jam anno MLXXIV, quod syngrapha ejus Hofgeismariae subscripta [31]) docet, canonicis ibi secundum regulam Cluniacensem S. Benedicti instituendis

27) Schlereth l. l. p. 156.

28) Cassellis in archivo publico index est librorum coenobii Hasungensis, in quibus non solum Statius sed etiam praeter libros theologicos et asceticos epistola Senecae ad (Lucilium?), Eusebii historia ecclesiastica, Donati editio secunda, Isidori liber etymologiarum, M. T. Ciceronis rhetorica, Sallustius de bello Jugurthino etc., Boetius, Virgilius, glossa desuper, tymeon (?) Platonis et liber Isidori Synonymorum laudantur, ita ut et monachi Hasungenses, qui regulam Benedicti sequebantur, literis antiquis operam dedisse videantur. Supersunt M. T. Ciceronis rhetorica sign. XXXVIII et Donati editio secunda sign. XXXIX.

29) Cf. de eo Serar. l. l. T. I. p. 496 — 521.

30) Trithem. in Chronic. Hirsaug.

31) Schlereth l. l. p. 142. Syngrapha servatur in tabular. publico Cassellis, typis integre repetita apud Lud. Schrader: Die älteren Dynastenstämme etc. T. I. p. 221 — 224. Iude haec, quae ad rem faciunt, collecta exscripsi: *Cunctis christi fidelibus presentibus et futuris notum esse volumus de loco qui uocatur* Hasungun *ubi sanctus* Heimerndus *requiescit. qualem inuenimus. qualem fecimus. uel qualem reliquimus. Prefatus itaque locus cum in multa ueneratione meritis sancti Heimerndi per quem inibi multa deus miracula operatur commendantibus tam a summis quam ab inferioribus haberetur. et non solum ab hac ejus proniacia sed totius regni definibus cum largissimis oblationibus et elemosinis frequentaretur: tam nostris quam predecessorum nostrorum temporibus. omnis illa fidelium deuota oblatio quaestuosis secularium sumptibus serviebat nec quisquam pro defectibus debitas domino supplicationes exsolebat. Quod tandem periculum nostrum diuina inspirante clementia recognoscentes. et futuri pro hoc examinis supplicia metuentes. ex propriis prefatorumque dei fidelium oblationibus in honorem sancti petri principis apostolorum anno dominice incarnationis Millesimo LXXIIII. preposituram constituimus. in qua probabilis uite canonicos instituimus ut diuinis ibi laudibus insisterent. et tam pro locis ecclesie statu. quam pro his quorum elemosinas acciperent domino supplicarent. — Prefati itaque fratres cum ritu canonico religiose uiuerent ad probabiliorem uitam magis intenderunt. consona quoque deuotione deliberaverunt. post illius scilicet professionis experientiam sancti patris Benedicti se suscepturos habitum et regulam. Missa igitur ad nos legatione nostrum super hoc consilium simulque uoluntatem expetebant. et auxilium. — Cumque hoc quomodo fieret. crebra nobiscum collatione pertractarent. et unde institucrentur solliciludiae uentilarent. diuina inspiratione cluniacensis sanctissime religionis ordinem elegimus.*

Digitized by Google

antistitem praeponere constituerat eique praepositurae bona atque praedia tam sui juris, quam quae alii largiti erant, tradita concesserat. De aedibus domiciliisque in monte Hasungensi vel condendis vel amplificandis in charta ne verbum quidem. Attamen, dissidiis inter Henricum IV regem Germaniae et Gregorium IX papam, cujus a partibus Sigfridus stabat, exortis, ab Henrico in proelio Melrichstadiensi MLXXVIII captus atque per quadriennium [32]) in custodia retentus, quominus consilium suum de Hasungo captum perficeret, tunc impeditus est. Postea vinculis liberatus et meliora edoctus anno MLXXXII loco praepositurae et canonicorum, quos voluerat, coenobium, cujus monachis abbas praeesset, Hasungi constituendum decrevit [33]) eique coenobio *curtem suam quae dicitur Hovegeismari cum omnibus appenditiis, agris, villis, mancipiis, pratis, pascuis, piscationibus, cum universis denique utensilibus sustentandi causa concessit.* De aedificiis exstruendis nihil addidit. Tum ut severiorem disciplinam Hirsaugiensem in coenobium introduceret, a Guilielmo abbate Hirsaugiensi monachos sibi mittendos petivit eosque XII numero, quibus Giselbertus abbas praeerat, *vir bonis literis eruditus et morum integritate conspicuus, maximus regularis disciplinae amator* [34]), eodem anno MLXXXII ipse inaugurasse videtur. Et Giselbertus Hasungi mansit ad mortem usque Sigfridi, ubi cum monachis amplius LXX a Wezilone [35]) archi-

32) Cf. Serar. l. l. p. 521 sq., ubi Joannis Sigfridum eodem anno custodia dimissum esse falso contendit contra cod. ecclesiae Moguntinae fidem.

33) Ejus rei documentum superest *datum — anno. M. LXXX. II. indictione V. coram universo clero et populo.* editum a Falckenheinero in Gesch. Hess. Städte, T. II. p. III — V. Inde haec ad rem spectantia transcripsi: *Ego Sigefridus metropolitanę sedis moguntinę licet indignus archiepiscopus. in domino animatus. in monte quodam qui dicitur hasungun. sub regula canonicorum congregationem ad honorem dei patris et filii et spiritus sancti et sanctę Marię perpetuę virginis. nec non apostolorum Petri et Pauli. omniumque electorum dei. inceperam ordinare. ut per eam devotionem. delictorum meorum quę vel per negligentiam vel imprudentiam prepositi mei et pastoralis officii commiseram. indulgentiam promererer accipere. — Postea vero cum mecum reputassem. quia etsi martha circa frequens ministerium domini satagebat. maria tamen optimam partem elegit. quę sedens otiosa verbum ejus audivit. idem inceptum in excellentiorem regulam monachorum secundum habitum venerabilem et sacrosanctam consuetudinem cenobii cluniacensis atque hirsaugię transmutaverum.*

34) Trithem. Chronic. Hirsaug. T. I. p. 235 haec quidem in rebus gestis a. MLXXI et MLXXII commemorat, sed procul dubio ante tempus narrans, ut sequentia docent.

35) Cf. Heimon. vit. B. Wilhelmi Abbatis c. 16 et Calles l. l. T. V. p. 865. Wezilo archiepiscopus fuit inde ab anno MLXXXIV usque ad MLXXXVIII; cf. Serar. l. l. p. 522 sqq.

Digitized by Google

episcopo Moguntino, qui Sigfrido successit, expulsus Hirsaugiam rediit [36]). Sigfridus enim anno MLXXXIV, dum Erfordiae moratur, diem obiit supremum et in claustro Hasungensi jacet sepultus [37]). Epitaphium ejus, quod sepulcro fortasse erat additum, codex Statii, de quo agitur, his habet verbis:

Sigfridus Monachus, Abbas dehinc Praesul et Exul [38]).
Bis quater undenis: quatuor minus, addito mille
Caesaribus [39]) *lenis relegatur Episcopus ille.*
Fulda docet: celebrat Moguntia: claudit Hasunga.

Itaque ne is quidem, qui Sigfridum carmine sepulcrali laudat, claustrum Hasungense ab eo conditum fundatumque fuisse dicit; monachus autem Erfordensis, qui monasterium illud, in monte Hassiae prope Wolfhagen situm, ab Aribone coeptum et a Sigfrido absolutum esse ait [40]), vera assecutus fuerit.

Sed ut ad librum ipsum, quem Aribo episcopus claustro Hasungensi donavit, jam transeamus, codex constat foliis membraneis majoris formae CLXIV, ita ut octona singulos efficiant fasces, in extrema parte notis sive custodibus I — XX signatos; undecimus tantum fascis et, qui numeri signum non habet, unus et vicesimus senis plagulis compositus est. Ab initio sunt duo folia, quorum posterius indicem liquore rubro scriptum habet hunc:

PVB. PAPINY STATY THEBAIDOS LIBRI. XII.

Codex diligentissime et nitidissime literis romanis a compluribus librariis ita scriptus est, ut in quavis pagina lineis distributa triceni versus legantur; literae initiales cujusque versus invicem sunt vel rubrae vel

36) Trithem. l. l. Post Giselbertum Hasungi abbas fuit *Wigbertus* inde ab anno MLXXXVIII; ultimus vero *Joannes* (Amelung) inde ab a. MDI usque ad MDXXVIII.

37) Annal. Hildesh. apud Pertz. T. V. p. 105. *Sigefridus archiepiscopus obiit in Thuringia et apud Hasungun sepultus est*, et Cod. eccles. Mogunt. apud Serar. l. l. T. V. p. 522.

38) Aufugit enim, civium iras evitans, Moguntia anno MLXXVII neque unquam ad sedem episcopalem reversus est; cf. Serar. l. l. p. 521.

39) Henrico IV, cui primum favebat, posten Rudolpho Suevo.

40) Nisi forte epigrammatista, ut in mensura v. *relegandi*, sic et in tempore relegationis constituendo erravit, post v. *mille* interpungi voluit, ita ut vs. 2 annum fatalem Sigfridi indicet; singuli enim versus singulis cippi quadranguli lateribus inclsi fuisse et inde transcripti videntur.

Digitized by Google

atrae, primae cujusque libri vel argumenti literae picturis vel ornamentis distinctae. Omnia sunt magna cum cura exarata, ita ut correctrix manus ejus, qui codicem transscripsit, raro appareat, saepius alterius et hic illic tertii, qui errores sane commissos emendaverunt. Totus codex signa et notas habet aetatis, quam subscriptio prae se fert, saeculi undecimi.

Continet autem liber MS. contextum Thebaidos integrum, de quo postea videbimus, et in margine ab eadem manu scriptam, particulam commentarii Lactantiani [41]) in Thebaidem I, 696 — II, 93. Accessit folium unum papyraceum, non glutinatum, cum indice: *Argumentum thebaidis*, quod ita incipit:

Quo Statiana tibi levius voluenda patescat
Thebais. scriptum [42]) *conspice lector opus.*
Cum modo quae maduit fraterno ysmenia tellus
Sanguine succinctim chartula scripta refert.

Noli tamen in eo quaerere Lactantii argumentum, commentario olim Lactantiano praemissum [43]), nunc una cum indice [44]) metrico libri primi deperditum, ut volunt; etenim argumentum codicis Cassellani compositum est, ut literae aperte ostendunt, saeculo XIV et fetus videtur esse Germani [45]), fortasse monachi Hasungensis. Quamobrem id reliqui intactum; sed Lactantii commentarium, quantum ex eo in codice Cassellano superest, transscripsi et typis repetendum curavi. Oportet enim Lactantii interpretatio, de qua post acerbam Jos. Just. Scaligeri [46]) et

41) Lactantii Placidi nomine commentarium recte nuncupari apparet ex scholio ad VI, 364, ubi scriptor se ipse nominat *Lactantium Placidum* et ex mythographi tertii, quem Bodius edidit, locis tribus 6, 28, 4; 11, 3, 1 et 12, 3, 5, ubi Lactantii nomine addito eadem legantur, quae apud interpretem Thebaidos habes IV, 460; III, 283 et IV, 660. Cf. *Arm. Schottky* de pretio Lactant. commentarii (Vratislav. 1846) p. 28 sqq., qui Lactantium vel Servio aequalem vel paullo juniorem fuisse ibi p. 39. contendit.

42) Prius exaratum erat *asscriptum despice*; illud scriba ipse, hoc alia manus mutavit.

43) Hoc oratione soluta scriptum, quod ad totam Thebaidem et ad librum primum spectabat, indicat ipse Lactantius ad Theb. I, 61. *Harum omnium seriem fabularum in argumenta digessimus*; quibuscum cf. quae Lactant. habet ad III, 179.

44) Hunc, ut reliqua Thebaidos argumenta, duodecim versibus constitisse suspicantur, sed mihi propter prologum ipsius Statii omnino non scriptus fuisse videtur.

45) Leguntur in eo haec: *Testudo id significat (?) quod nos latinius barbitun testudinariam vocamus: et in nostra vernacula eyn laut vel eyn drum.*

46) In edit. Euseb. Chron. ad a. CCVI p. 19.

Digitized by Google

Gerh. Joh. Vossii [47]) censuram aequius judicabunt [48]), denuo et castigatius typis imprimatur, quum editiones ejus, Romana MCCCCLXXV et Veneta MXCIV et Lindenbrogiana, rarissimae sint, et commentarius glossis scholiisque interpolatus vel etiam mutilatus [49]), omnino vel ab ipso scriptore vel librariorum culpa varias passus sit corruptelas. Itaque operae pretium esse duxi ex iis, quae codex Cassellanus habet, ad futuram Lactantii editionem aliquid conferre, quo particula certe commentarii rectius constitui possit. Verba typis describenda dedi, qualia in codice leguntur, collata cum Lindenbrogianis, ita ut quae inter se differunt a me indicentur; corrupta vel emendavi, vel notavi, in scribendo rationem, qua nunc utimur, et in ordine scholiorum Lindenbrogium ducem solum secutus. Librarius enim scholia non semper ita in margine exaravit, ut se justo ordine excipiant (cf. I, 717 et 720), sed ad spatium, quo poterat uti, non ad nexum verborum respexisse videtur; cf. II, 1. Praeterea bibliopegi culpa singulae literae et syllabae ab extremo margine sunt praecisae, quas a me suppletas esse uncorum signis indicavi.

47) De poet. lat. 5. p. 43. *Est vero commentarius ejus cento ex Servio, Hygini mythologicis et astronomico Arateo et quibusdam aliis quos ad verbum exscribit.*

48) Jam Boccatius lib. I. de genealog. deor. p. 8. Lactantium, qui super Statium scripserit, insignem hominem doctumque esse censet.

49) Barth. ad Stat. Theb. II, 396. *Joannes Boccatio — Lactantii nomine e commentariis Papinium explanantibus citat, quae in editis non comparent.* Ipse l. l. Lactantium exhibet auctiorem; cf. infra ad I, 716 et Schottky l. c. p. 40 sqq.

Digitized by Google

LACTANTII PLACIDI

Commentarius

in

Papinii Statii Thebaida I, 696 — II, 93.

Liber I.

vs. 696. *Phoebe.* Invocatio sive hymnus Apollinis. *Patarea.* Lyciae civitas est Patara, Apollini [1]) sacrata. Unde Horatius [2]): *Lycius et Patareus Apollo.*

698. *Castaliae.* Ubi quondam virgo Castalia [3]), quam cum Apollo [4]) amaret et vim vellet inferre, in fontem se praecipitavit [5]).

702. *Cynthus.* Mons est [6]) Deli, cujus tantam vult esse magnitudinem, ut umbra sua Aegaei maris ambitum protegat; ipse enim Latonam [7]) susceperat, cum adhuc Delos erraret. Et est sensus: si te non juvat [8]) esse in Delo, quae, instabilitate sua hospes, est littorum diversorum [9]).

706. *manus* quia quaecunque fata parant, tu nosti, et omne futurum tibi patet.

707. *placitura* id est quia [10]) adhuc decreta non sunt; quae summo Jovi displicere non poterant [11]).

709. *Tu Phryga s.* Marsyam dicit, qui victus submissus est poenae ab Apolline [12]).

710. *Terrigenam Tityon.* Tityos [13]) Terrae filius Latonam matrem Apollinis amasse dicitur, sed ne sacrilegae libidinis commento impune potiretur, ab Apolline vinctus [14]) est et deductus ad infernum, cujus jecur vultures rodunt.

711. *viridis* aut epitheton est serpentum, quia virides sunt, aut veneni plenus [15]).

1) Cod. *apollinis acrata*; Lind. *consecrata.*

2) Od. III, 4, 64. Cod. *patār. a.*

3) Lind. add. *fuit.*

4) Lind. add. *unice.*

5) Desunt tria scholia, quae apud Lindenbr. leguntur ad vs. 699 et 701.

6) Deest apud Lind.

7) Cod. *latanam.*

8) Locum Lactantius male intellexit, ut jam Barth. observavit.

9) Duo scholia ad vs. 703 et 704 desunt in codice.

10) Barth. scribendum putat *quae* ex cod. Pithoei, recte; idem postea vult *sic placere* pro *displicere*; immo dele v. *non* ante v. *poterant.*

11) Lind. *potuerunt.* Scholion Lind. ad v. *letifer* deest.

12) Lind. pro *ab Ap.* habet *sive inferiorem facis.*

13) Lind. *Tytion*; Cod. *Ticion. Ticius.*

14) Lind. *victus est et d. ad tartara, c. j. a vultore tunditur in aeternitatem supplicii pullulantibus fibris.* Virg. [Aen. VI, 600]. *Nec fibris requies datur ulla renatis.*

15) Sic Lind.; Cod. *pleni.* Scholion ad vv. *Thebana mater*, quod legitur apud Lindenbr., deest.

Digitized by Google

715. *Phlegyam* [16]). Phlegyas filius Martis, qui apud Delphos templum Apollinis incendit. Ejus Virgilius [17]) meminit *Phlegyasque miserrimus omnis admonet.*

714. *accubitu* id est super ipsum accumbit, ne quando possit requiem capere.

715. *Instimulat* injicit illi cupiditatem; fames quidem urget ut capiat, sed comedere timore fastidit. Comesse enim non sinitur, cui fastidium irrogatur [18]).

716. *Adsis* faveas. *hospitii* propter Crotopum, qui [19]) eum suscepit hospitio.

717. *Seu te roseum T. v.* Dicit Apollinem [a di]versis gentibus variis appellari nominibus. Apud [Ac]haemenios enim Titan [20]), apud Aegyptios Osi[ri]s, apud Persas, ubi in antro colitur, Mithra vocatur [21]).

718. *Seu praestat Osirim.* Secundum Aegyptios, qui Osirin Solem interpretantur, per quem proventum frugibus existimant posse contingere; quae sacra primum Persae habuerunt, a Persis Phryges, a Phrygibus Romani. Apud Persas Sol proprio nomine Mithra dicitur, ut Osthanes [22]) refert.

719. *Sub rupibus* [23]). Persae in spelaeis coli Solem primi invenisse dicuntur; est enim in spelaeo Persico [24]) habitu cum tiara et [25]) utrisque manibus bovis cornua comprimens. Quae interpretatio ad lunam dicitur [26]); nam indignata sequi fratrem occurrit illi et lumen subtexit. His autem versibus sacrorum mysteria patefecit. Sol enim [27]), lunam minorem potentia sua et humiliorem docens, taurum insidens cornibus torquet. Quibus dictis Statius lunam bicornem intelligi voluit, non animalia, quibus vehitur.

720. Quod [28]) autem dicit [29]) *torquentem cornua* ad illud pertinet, [quod] simulacrum ejus fingitur reluctantis tauri [ro]rnua retentare, quo significatur lunam [30]) ab eo lumen accipere, cum coeperit ab ejus radiis segregari. *[In]diguata sequi t. c. M.* Prius ordinem dicit, postmodo [31]) sensum. *Seu Mithram vocari praestat sub* [32]) *Persei antri*

16) Cod. *[P]leian. Plegias.*

17) Aen. VI, 618; Lind. *cujus.*

18) Lind. add.: *Virgil.* [Aen. VI, 603] *Furiarum maxima juxta accubat et prohibet contingere mensas.*

19) Reliqua desunt apud Lind.

20) Cod. add. *vocatur.*

21) Eadem verba leguntur apud Mythogr. Bodii II, 19, 37.

22) Lind. *Hostanes refert*; Cod. *haste* sine v. *refert.* De *Osthane* Persa, qui magus fuisse dicitur, cf. Fabric. B. Gr. T. I, p. 106 sqq. Harl.; fortasse est idem, ut jam Schottky l. l. p. 31 bene divinavit, qui *Perseus praeceptor* i. philosophus dicitur ad Theb. VI, 384 *cujusque ex libris ineffabilis doctrinae scorsum libellum composuit* Lactantius.

23) Prius schollon, quod Lind. ad vv. *Persei antri* habet, in codice deest.

24) *Persico — dicitur*; eadem fere leguntur apud Mythogr. Bodii l. l.

25) Deest apud Lind.

26) Apud Barth. *ducitur*, apud Mythogr. l. l. *pertinet*; cf. ad vs. 720, ubi eadem.

27) Sic Lind.; Cod. *Sole lunam.*

28) In Cod. haec cohaerent cum schol. vs. 717.

29) Lind. *dicitur.*

30) Ita Lind.; Cod. *luna.*

31) Lind. *postmodum dicit s.*

32) Ex Lind.; Cod. *seu.*

Digitized by Google

rupibus torquentem cornua [in]dignata sequi. Sensus talis est. Persae in speluncis [so]lem colunt; et est [33]) hic sol proprio nomine vocatus [34]) Mithras, qui quia [35]) eclipsin patitur, ideo intra [an]trum colitur. Est autem ipse Sol [36]) leonis vultu [cum] tiara Persico [37]) habitu et utrisque [38]) mani[bus] bovis cornua comprimens. Quae interpretatio [ad] lunam dicitur, quae indignata sequi fratrem occur[rit] illi et lumen [39]) eius obscurat. Nudavit autem mysteriorum partem. Sol ergo quasi lunam minorem docens ideo taurum torquet. Mire autem cor[nu]a posuit, ut lunam manifestius posset exprimere [40]), non animal, quo illa vehi figuratur. Sed [41]) quia locus non est [secre]ta [42]) deorum istorum juxta tenorem internae [43]) philosophiae disserere, tamen de figuris [44]), quibus creditur, [pa]ucis dicamus. Sol est [45]) ineffabilis, quia principale [sig]num inculcat [46]) et frenat, Leonem scilicet, idcir[co] et ipse hoc vultu fingitur [47]), vel quod hic deus [ce]teros vi [48]) numinis et potentiae impetu ex[ce]llat, ut inter reliquas feras leo, vel quod [49]) sit ra[pi]dum animal. Luna vero quia propius Taurum [50]) coer[ce]t adducitque [51]), ideo vacca luna [52]) figurata [est]. Ceterum divini et regii dii [53]) isti, ut compa[re]nt [54]) in orbe, sic sunt expertes mortalis figur[ae] tam [55]) hominis quam beluae, non habentes initium terminumque [56]) [vel] quod interpoletur [57]) medium, ut dii minores et reliqui; ut supra ipse [58]) ait: *Mox turba vagorum [se]mideum.* Id enim ratio aeternitatis expostulat.

Liber II.

Reditus Mercurii cum umbra Laii per Taenarum [59]) Laconiae promontorium. Adventus ipsius u[m]brae ad Thebas; immutatio ejus in Tiresiam [60]) et admonitio, ut contra

33) Apud Lind. *est* non legitur.
34) Lind. *vocatur. Mytra.*
35) Lind. *M. quique* ec.
36) *Sol — lunam dicitur;* eadem fere apud Mythogr. Bodii l. l.
37) Ita Lind.; Cod. *perspicuo.*
38) Ex Lind.; Cod. *utris.*
39) Lind. *lucem ei.*
40) Ex Lind.; deest in Cod.
41) Cod. add. *tamen.*
42) Lind. *deor. ist. secr.* Schottky p. 26 fortasse ex edit. Venet. 1494 *de natura deor. ist. juxta* etc.
43) Ex Lind.; Cod. *intimae.*
44) Lind. *de fig. tam.*
45) Non legitur in Cod.
46) Cod. *inculat;* an *incubat?*
47) Cod. *pingitur* cum *f* suprascripta.
48) Lind. *sui.*
49) Lind. *quia.*
50) Cod. Pith. *taurus coerceat*, unde Lind. *tauro adhaeret.*
51) Cod. *adductique.*
52) Cod. *lunae;* an legendum *figura?*
53) Lind. *isti dii.*
54) Lind. *comparentur.* Schottky l. l. p. 26 *circumferuntur in orbem.*
55) Cod. *seu.*
56) Lind. *terminum;* Schottky *termini.*
57) Cod. *interpolletur;* Schottky *appelletur.*
58) Theb. I, 205.
59) Cod. *trenarum licaonie promunctorium.*
60) Cod. *teresiam.*

Digitized by Google

fratrem bellum [61]) suscipiat. Descriptio orientis diei. Pollicitatio Adrasti filias [62]) suas in conjug[io] Polynicis et Tydei; illorum gratulatoria responsio. Descriptio nuptialis ascensus [63]) puellarum in Minervae templum, ubi et augurium factum futuri belli. Descriptio monilis Harmoniae [64]), quod gerebat Argia [65]). Polynicis de regno desiderium. Allocutio conjugis hoc deprehendentis. Mariti consolatio. Tydei legatio et allocutio apud Eteoclen [66]) de regno repetendo. Allocutio reg[is] negantis [67]). Responsio bellum minitantis [68]). Regress[io] ejus. Quinquaginta a rege missi, qui redeuntem Tydeum occiderent. Descriptio rupis Sphyngos. Inmissi ab Eteocle Tydeo insidias collocarunt. Pugna Tydei [69]) cum omnibus et interitus eorum. Minervae allocutio ad Tydeum. Maeonis unius dimissio ad indicium communis [70]) belli. Tropaeum Minervae factum a Tydeo ejusque hymnus in laudem [71]) Minervae.

vs. 1. [*In*]*terea gelidis.* Reditum Mercurii ab inferis [po]eta describit impeditum, quia nulla re volatus [ejus] adjuvari poterat crassioris poli aere [ta]rdante. *Styx* quoque [72]) *circumflua* remeantis numi[ni]s impediebat regressum. In primo enim libro [Iu]piter, ut inferos peteret, Mercurio [73]) impera[vi]t, evocaretque umbram Laii, qua innitente [ne]potibus belli furor [74]) increscceret. *Gelidis.* Bene gelidis, quis calor in vita est, frigus in morte; unde [75]) Virgilius [76]): *Dilapsus calor atque in ventos vita recessit.*

4. *Zephyri.* fab. [77]).

5. *poli.* Polus est circuitus, qui in se totum continet.

6. *incendia.* Tardius ab inferis Mercurius remeabat propter crassum aerem [78]) et sine vento et propter Stygis [79]) impedimenta et fluvios ardentia fluenta volvent[es] [80]).

61) Cod. *bella.*

62) Lind. *filiarum suarum.* Plaut. Amphitr. I, 3, 21. *Quid tibi hanc curatio est rem?* Truc. II, 7, 62. *Quid tibi hanc aditio est? quid tibi hanc notio est?* cf. Ruddiman. Inst. T. II, p. 240.

63) Cod. *nuptialis. ascensus.*

64) Lind. *Harmiones.*

65) Cod. *Rigia.*

66) Lind. *Etheoclem.*

67) Cod. *negatis.*

68) Lind. *ad bell. invitantis.*

69) Cod. *cum omn. Tyd.*; Lind. *et eor. int.*

70) Cod. *cum min* literis ultimis decisis.

71) Cod. *laude*; Lind. *in l. Min. hymnus.* Qui haec scripsit, aegre argumentum metricum composuit.

72) Lind. vv. *Styx circ.*, omisso v. *quoque*, lemmatis loco habens pergit: *Remeantis.*

73) Lind. *Merc. ut inf. pet. imp.*

74) Lind. *fur. belli.*

75) Abest a Lind.

76) Aen. IV, 705.

77) Id est *fabula*, quam a se omissam scriba h. v. indicavit; cf. scholion apud Lindenbrog. et, qui eadem habet, Myth. Bod. I, 183.

78) Lind. *aera.*

79) Cod. Pith. *frigoris.*

80) Scholion vs. 7, quod Lindenbr. ad v. *ponc* addidit, deest.

Digitized by Google

8. *capulo* [81]). Totus ensis mersus [82]) est in vulnere Laii, quod ei Oedipus intulit, ut Virgilius [83]): *Capulo tenus abdidit ensem.*

10. *Et primas F. p.* id est exordium furoris filii pater pertulit, inflixit [84]). *Primas* per quod intelligi vult, quae secuta sunt postea fuerunt multo peiora, Jocastae concubitus, Oedipi [85]) caecitas.

11. *Medica f. v.* Caduceum [86]) ostendit insigne Mercurii, quo [87]) illi medeatur, qui nequeat ambulare, ut [88]) Virgilius [89]): *Hac animas ille evocat Orco pallentes. — Vestigia firmat*, ut idem [90]): *Truncа manum pinus regit et vestigia firmat.*

13. *ferrugineum* horridum, ut Virgilius [91]): *Ferruginea subvectat corpora cymba.*

14. *Miratur patuisse retro* novitatem, cum introeunti[bus] solis pateat decsse ipsum iter et reditum, ut Virgilius [92]): *Facilis descensus Averni, sed revocare gradum superasque evadere ad auras, hic labor* [93]), *hoc opus est* [94]).

15. *Invidiae funetis.* Quia si [95]) nec mortuis defuit, unde esse [96]) posset invidia, non illi defuit, qui redeunti invideret. Ordo hic est: Nec livida tabes invidiae defuit funetis [97]) hoc est mortuis. [Non] [98]) recedit a naturae malo livor invidiae, ut Virgilius [99]): *Invidia infelix Furias omnemque severum* [100]).

17. *Gravis exitus aevi* [101]). Quasi hoc accipiendum poeta voluerit, ut intelligamus hunc nescio quem pro morum suorum meritis occidisse; et votum ejus malae mentis ostendit, quod esset [102]) etiam apud inferos reservatum [103]).

21. *Furiata.* Furore correpta maga, qualis describitur apud Lucanum [104]).

22. *Sepulchro* proprio [105]) sive inferno.

81) Lind. add. *tenus*, ex loco, qui sequitur, Virgilii.

82) Cod. *mersurus*; postea *Lai*, ut apud Lind.

83) Aen. II, 553.

84) Lind. *pert. primus. inflexio*; Cassel. *inflixi primus*; correxi. Lactant. v. *pertulit* de Laio male intellexit.

85) Cod. *Ordippi.*

86) Cod. *Caudeeum.*

87) Cod. *qui.*

88) *ut* deest ap. Lind.

89) Aen. IV, 242.

90) Aen. III, 659.

91) Aen. VI, 303; deest *ut* apud Lind.

92) Aen. VI, 126 — 129 omisso v. 127.

93) Lind. *Hoc op. hic lab.*, ut vulgo legitur.

94) Scholion Lind. ad vv. *nec livida tabes* deest.

95) Lind. *Quasi.*

96) Lind. *poss. esse.*

97) Lind. *defunctis.*

98) An *Nec?*

99) Georg. III, 37.

100) Lind. add. *Cocyti metuet.*

101) Cod. *exeitus*, ut in contexta.

102) Deest in Cod.

103) Duo scholia, quae Lindenbr. ad vs. 18 et 19 habet, in cod. non leguntur.

104) In libro sexto. Lind. *a Lucano.*

105) Barth. vocem esse mendosam putat, sed *proprium* est i. q. secretum, quo vocabulo Lactant. ad Theb. XII, 133 v. *arcanum* explicat.

Digitized by Google

23. *Heu.* Asspiratio [106]) dolentis sive invidentis alicnis bonis. — *Solemque relictum* quem moriens reliquisti, aut certe nos omnes animae, dum ad inferos veniremus.

24. *Virides t. et p. f.* Apud inferos steriles sunt terrae et coenosi fluvii; puros dixit, [quia] ex splendidissimis fontibus generantur.

25. *Tristior has iterum.* Quod natura humana non [ta]ntum gaudet in bonis fruendis, quantum dolet, cum his privata fuerit [107]).

27. *Atque omnis e. e.* [108]) *h.* Et ad ipsius canis capita referendum est, et ad serpentum, qui capita ejus cingunt id est aut [109]) omnis hiatus horum capitum, quia Cerberus [110]) est, aut omnis hiatus [se]rpentum, quibus caput ejus collaque vallantur [111]), ut Virgilius [112]): *Cui vates horrere videns jam colla comasque* [113]).

36. [*Et*] *tantum f. i. a.* Super ipsum fessa astra considunt id est propter [114]) eminentiam sui sedem praestat astris rapido cursu fatigatis [115]).

43. *Interiore.* Dicit nescio [qua] [116]) parte Taenarum recurvari ad vicem portus, in quo refert equos suos consuevis[se st]abulari Neptunum. Est autem hyperbaton, ut [117]) talis sit ordo: *Et tantum fessis insiditur astris. Interiore sinu, frangentia littora curvat* [118]) *Taenaros expositos non audax* [119]) *scandere fluctus. Ast ubi prona dies longos super aequora fines exigit* [120]) *atque ingens medio natat unda profundo, illic Aegaeo Neptunus gurgite fessos in portum deducit* [121]) *equos.* Con[se]quens est enim ut non [122]) appropinquante nocte [cu]rvet [123]) Taenarus sinum, quia est natura montis immobilis, sed ut [124]) incipiente noc[te] illo ad [125]) requiescendum Neptunus equos adducat [126]). — *Frangentia.* Epitheton; quia in littoribus solent fluctus frangi.

44. *Expositos non audax* [127]). Chorographia [128]). Non ultra [fi]nes littorum pro-

106) An *suspiratio*? Lind. *Interjectio.*

107) Alterum scholion ejusdem versus, quod Lind. habet, deest.

108) Ita Cod. pro *s.* Pertinet scholion ad v. *hiatus.*

109) Cod. *autem* v. *omnis* omisso; Lind. *aut* non habet.

110) Excidit v. *centiceps.*

111) Lind. *velantur.*

112) Aen. VI, 419. Apud. Lind. desunt *Cui vat.* Vulgo *colubris* pro *comasque.*

113) Scholia septem, quae Lindenbr. ad vss. 28 — 35 habet, in codice non leguntur.

114) Lind. *per.*

115) Lind. addit *Altitudinem voluit exprimere, quasi illic astra requiem sumant.*

116) Lind. *in qua.*

117) Lind. *talis ut.*

118) Cod. *currat teneros*; Lind. *Taenarus.*

119) Lind. *ausus.*

120) Cod. *exiit.*

121) In Cod. desunt *ded. equos.*

122) Lind. *non ut* sine v. *cuim.*

123) Lind. *Taen. curv.*

124) In Cod. deest. *ut*; ap. Lind. desunt *incip. nocte.*

125) Lind. *eq. Nept. ad req.*

126) Scholion, quod ad vv. *medio natat* Lind. habet, deest.

127) Lind. *audiens*; Cod. Pith. *audax.*

128) Lind. *Chorlogr.* Scholion, quod apud Lind. de Taenaro additur, in Codice deest.

Digitized by Google

grediens; evecti [129]) fluctus intra Taenarum. Ergo Taenarus mons [130]) est altior fluctibus, ut erectos [131]) fluctus et evitet et repellat.

45. *Illic* in eadem regione. — *gurgite* mari ab Aegeo, Neptuni filio, Thesei patre.

46. *haurit* ferit, ut Virgilius [132]): *Latus haurit apertum* [133]), quasi per transitum Neptuni equos mira ratione [134]) describit [135]).

49. *nigri Jovis* Stygii [136]).

51. *gemitus poenarum* quas [137]) apud inferos nocentes persolvunt. — *atroque tumultu* quia tumultus, qui fit apud infer[os], auditur in illo [138]) loco; atro ergo quasi infernali.

52. *manus* quod flagellis personant, dum noxios caedunt; voces secundum Maronem, qui ait [139]): *Vocat agmina saeva sororum.*

54. *abegit* quia [140]) juxta habitantes terrore suo fugavit [141]) agricolas.

56. *Exilit* aurae vitalis afflatu laetior factus est.

58. *Inde per Arcturum* [142]) id est superioribus; per Arcturum id est per septentrionem [143]) solet volare Mercurius, quia ibi maior est ventus et citationes facit ejus volatus. — *mediaeque sil. l.* Philosophi lunam terram esse [144]) dicunt, quae circa nostrum hoc solum circulo altiore suspensa est. Haec autem omnia corpora maiora [145]) gignit, utpote quae vicina sit coelo. Poetae denique omnes asserunt leonem de his polis ortum, quem Hercules prostavit, ut etiam Olympus [146]) ait [147]). De lunari autem globo apud mortalium genus coeli ratio ignoratur, quare [148]) proximus sit terris et ultimus leviorem perstringam; quia [149]) hoc divinum lumen animas tam de astris omnibus [150]), quam de omni materia mundi, subtracta [151]) parte superna, excipit et decerpit

129) Scribendum *evectos*, ut sit glossa v. *expositos*.

130) Lind. *non*.

131) Lind. *evectos*.

132) Aen. X, 314.

133) Lind. add. *quo*. Cod. *mirationc*.

134) Lind. *descripsit*.

135) Scholion Lind. ad v. *trames* deest.

136) Plura et alterum scholion ad v. *devium* Lind. addit.

137) Cod. *quos*.

138) Ex Lind.; Cod. *illa loca*.

139) Aen. VI, 572.

140) Lind. *quasi*.

141) Cod. *fatiquvit*.

142) Cod. *arturum*. In contexto est *acturum*; Lind. habet *Arcturum* et postea *acturum*.

143) Lind. add. *per Arcton enim*; scribe *per Arcton enim id est per sept. solet* etc.

144) Lind. *esse terr*.

145) *majora* deest apud Lind.

146) La Croze conjicit esse eundem, ad quem Dositades aram suam miserit; cf. Fabr. Bibl. Gr. T. I, p. 136, not. g.; sed videtur esse mythicus ille poeta, Marsyae discipulus. Alius *Olympius*, quem volunt esse Nemesianum, a nostro commemoratur ad V, 389.

147) Lind. add. *quasi* (Pith. *quare*) *proximus sit terris et ultimus*; cf. quae postea sequuntur.

148) *quare — ultimus* desunt ap. Lind; cf. supra.

149) Lind. *quod*; Schottky p. 26 non habet.

150) Sic Lind.; Pith. et Cass. *hominibus*.

151) Cod. *substructe*.

Digitized by Google

quasi lumina [152]), quae postea ter quinis diebus, ut collegerat, totidem refundit in fratrem.

59. *Arva super*, ut Virgilius [153]): *Terras inter coelumque volabat.*

61. *decedit* quasi non solum [154]) obvius Mercurio somnus assurgat, sed venientem [155]) tramite certo declinet.

62. *Inferior* quia super luuares polos dixerat ire Mercurium [156]).

64. *Pollutamque suo de. f.* [157]) *b.* Illam tangit historiam [158]). Cum [159]) Mercurius somnum caperet, quidam, cujus uomen fabulae tenent, dormienti teteudit insidias, qui [160]) eonata peregisset, nisi eum filia Palaestra excitavisset. Qui cum odio terrae migrasset ad coelum, creditus est obiisse [161]); quo facto injuriosam meruit sepulturam. Sed melius de Laio creditur, qui cum ad Naubolum [162]) hospitem Phocidis pergeret, occisus a filio est. — *Despectat Phocida b.* De jugo Cirrhae vidit bustum [163]) suum, quod fuerat in Phocide. Cirrha Boeotiae [164]) planities [165]), iu quo campo Apollini lustrum datur. Phocis ergo Boeotia [166]) est.

69. *Pene retro.* Significare voluit: quia, ut forma est, timet umbra, quae [167]) passa est.

71. *Et tunc forte dies* id est primus natalis Liberi, quo fulminata est Semele, et exseeto utero Liber Jovis femini [168]) infertus [169]) est; secundus euim dies natalis Dionysii ille dicitur, quo exactis mensibus legitimi partus Jovis est produetus ex femine [170]), quem diem homini scire fas non est. Ideo et διθύραμβος [171]) dicitur id est bis geuitus [172]).

74. *Noctem*, ut Virgilius [173]): *Noctem custodia ducit insomnem ludo.*

152) Lind. *lunam.*

153) Aen. IV, 256. Correcta sunt ex Lind.; Cod. *ut terra finit celumque volabunt* omisso v. *Virgilius.*

154) Cod. non habet *solum.*

155) Lind. *veniente.*

156) Alia manus addidit scholion: *Umbram vult intelligi Laii regis animam, quare ridicula ratio est carmini superposita.* Aliud scholion ad v. *praecepti* addit Lind.

157) i. e. *Phocida.*

158) Cod. *historia.*

159) Lind. add. *deus scilicet.*

160) Cod. add. *tamen.*

161) Cod. *obisse.*

162) Ita MS. Pithoei, quod Lind., ut videtur, male correxit; Cass. *nuabo.* Naubolus Hippasides rex fuit Phocidis (cf. Orph. Argon. 144) Lajique hospes, ut docet Stat. Theb. VII, 354 sq.

163) Bis scriptum in Cod.

164) Cod. *boetie.*

165) Lind. add. *est.*

166) Cod. *boetia*; Lind. *in Beotia.*

167) Barth. v. *anima* omissum esse putat vel scribendum: *homo passus est.* Non opus est.

168) Lind. *femori.*

169) Lind. *insertus.*

170) Lind. *femore.*

171) Cod. *AITIPAMBωVC.*

172) Scholion v. 73 ad v. *Tyriis*, quod Lind. habet, in Codice deest.

173) Aen. IX, 166.

Digitized by Google

76. *Anhelum* [174]), ut Virgilius [175]): *Multoque jacebat membra deo victus.*

78. *Aeraque taurinos.* Nam tympanis, quae sunt ex taurina pelle, plus sonant cymbala, quae sunt ex aere, acutiore [176]) tinnitu, ut est [177]): *Tympana vos buxusque vocant.*

80. *Baccho* [178]). Non sic irato Baccho, ut cum Agave occidit filium furens; vel meliore, ut si qua [179]) deliquerit, propter diem ipse Liber ignoscat. *Cithaeron* mons est [180]) Boeotiae, ubi Liberi patris sacra celebrantes matres Pentheum discerpserunt [181]). Nunc ergo sanas dicit sine furore [182]).

82. *Bistones* Thraces a Bistone rege, unde Orpheus fuit, aut certe ipsi Thraces. — *Ossae.* Ossa mons inter Thraciam et Thessaliam.

85. *At Ogygii s. a. J.* Thebani, ab indigena, ut ante [183]): *Ogygiis, ait, aspera rebus fata tulere vicem.* Sic Pindarus in somnis [184]): *opite.* *IωC aEEYPENyNNNt HEΦa.NECCI ΠI.* — *afflavit.* Non apte hic [185]) posuit proprie fulminis verbum, ut [186]) *fulminis afflavit ventis et contigit igni.* — *Iacchi* Bacchi [187]); hoc est cum [188]) vinum hauserunt [189]), ut Horatius [190]): *Natis in usum laetitiae scyphis* [191]) *pugnare Thracum est* [192]).

89. *Nox ea* [193]). Talis nox erat tunc Thebanis, quali [194]) convivia solent Thraces exercere.

174) Lind. addita habet *deum somnum.*

175) Aen. IX, 336.

176) Lind. add. *enim sunt.*

177) Virg. Aen. IX, 619.

178) Cod. *bacho*, ut postea.

179) Cod. *mel. propt. diem ut ip. Lib. ign.* reliquis omissis.

180) *est* Lind. non habet; Cod. *boetiae.*

181) Cod. *discerserunt.*

182) Scholion Lind. ad v. *Rhodopen* v. 81 in codice deest.

183) I, 173. Cod. *anne*; Lind. *Theb., ab Ogyge rege aut amne.*

184) Locus corruptus, de quo egit Boeckh. ad Pindar. T. II, P. II, p. 567. *Somniis* Lind. et Monac., ut videtur, apud Boeckh.; *somnis* Freysing. et Gudian. ibidem, unde Boeckh. conjecit *hymnis* Handio probatum; fortasse tamen scribendum *scoliis.* Barth. in hoc et seq. vocabulo v. *Olympionicas inesse* putat. Quae sequuntur Lind. ita habet: *Opite IωC De eyPeN OΠON NHTHe TAN eC CIΠy*; Cod. Freising. *opite IωC ΔE eyPE, NONONNH THFΦλ NCCyNy*; Gudian. *opite xωs ΔEEy PaNωNNHTHE Φa. NECCIΠI*; Monac. denique *OPIYeIωC Δe eYPe NOPONNH THeΦλHe CCINHy.* Boeckhius emendavit: *Ὠγυγίους δ' εὗρεν, ὅπου πόλιν αἴτεε τάνδ' ἐς αἰπύ* et supplet v. *κτισθεῖσαν.* Mihi facilior visa est emendatio *Ὠγυγίους δ' εὗρεν, ὅπου νάσθησαν ἐς αἰπύ* vel *ὁ γεννήτωρ φανεὶς ἐς αἰπύ.*

185) Cod. correctum ex *hoc.*

186) Virgil. Aen. II, 649.

187) Cod. *Iachi. bachi.*

188) *cum* deest apud Lind.

189) Lind. *hauserint.*

190) Od. I, 27, 1 sq.

191) Cod. *ciphis.*

192) Scholion Lind. ad vv. *saevus odor* v. 86, quod Schottky l. l. pro genuino habet, in codice deest.

193) Lind. add. *id est.*

194) Correxi *qualia*, quod corruptum.

Digitized by Google

90. *Regis Echionii* Eteoclis [195]) ab Echione rege Thebanorum.

95. *dapes* quia [196]) rex aut [197]) regnum destruxit, aut quia perfidus, ideo quietem capere non debet [198]).

195) Cod. *Etheoclis*; Lind. *a r. Th. Eth.*
196) Lind. *aut quia rex.*
197) Delevi *quia* repetitum.
198) Lind. *deberet.*

Ex his apparet codicem Cassellanum ei, qui Lactantium restaurare velit, nonnihil auxilii laturum esse; quae enim praebet sane non vacant labe et corruptelis (cf. II, 10), inprimis nomina propria (cf. I, 718. 720. II, 64); idem omittit vel singula verba (I, 698), vel partes scholiorum (cf. I, 707. II, 36. 44), vel tota scholia (cf. I, 699. 701. 703. 704. 707. 711. II, 4. 7. 15. 18. 19. 25. 28. 29. 31. 32. 33. 35. 42. 49. 62. 73. 86), vel contraxit alia (cf. I, 710. 715), sed etiam plura et meliora affert, quam quae apud Lindenbrogium leguntur, ita ut corrupta emendari rectiusque constitui possint, cf. I, 710. 720. II, 27. 44. 58. 61.

Jam transeamus ad contextum Thebaidos. Qui verba Statii in codice Hasungensi accuratissime et elegantissime exararunt librarii erant complures, ni fallor tres, sed omnes iisdem fere literarum ductibus sunt usi, ita ut scriptura nonnisi magnitudine distinguatur [1]). Unus tamen maximam Thebaidos partem scripsit; is non adeo doctus fuisse videtur, ut omnia, quae scripsit, satis intellexerit, vel non intellecta emendaverit, nedum de suo quidquam addiderit; immo, quod in taxando codicis pretio bene tenendum est, quae in codice archetypo invenit, ad fidem ejus diligentissime descripsit. Itaque conjungit interdum, quae mente non percepit, vocabula duo in unum I, 66 *sisphingos*, VI, 653 *nise*, 681 *innubila*, 690 *inaequo*, vel etiam divisit unum in duo, I, 221 *pheton ea* pro *phaetontea*, 477 *pila devitasse* pro *pylade vitasse*, 670 *porta oniae* pro *parthaoniae*, 681 *io casta* pro *iocasta*; saepius erravit in nominibus propriis, II, 287 *id aliusque* pro *Idaliusque*, III, 170 *Hictonium* pro *Hinc Chthonium* et *ethenea* pro *Penthea*. Codex archetypus, quem librarius transscripsit, vel in margine hic illic erat mutilus, ita ut singulae literae deessent, vel quod malim ab initio, ut exemplar

1) Initium Thebaidos vide in imagine codicis lithographica Nr. I.

Digitized by Google

quoque Hasungense, literas quas dicunt unciales habebat, a librario codicis Hasungensis commutatas, unde factum est, ut in codice nostro saepius ab initio versuum commissi sint errores, cf. I, 108 *Ire* pro *Ore*, 262 *Ferte* pro *Verte*, 540 *Ficta* pro *Victa*, 575 *Jamque* pro *Namque*, 597 *Thebe* pro *Phoebe*, III, 100 *Si dignum* pro *Indignum*; totum vero archetypum literis quadratis exaratum fuisse non crediderim, quum librarius codicis Hasungensis verborum notas ante oculos habuisse et in transscribendo commutasse videatur, cf. VII, 534 et 690, ubi scripsit bis *oculos* pro *omnes* et pro *alios*; ipse utitur admodum raro compendiis scripturae, quorum circiter triginta animadverti eadem atque vulgaria; praeterea tria, interdum duo inter lineas inveniuntur puncta juxta posita, quae procul dubio ad scholia Statii margini addenda neque tamen addita spectant. In literarum formis codex hoc habet singulare, quod ubique *u* pro *v*, nisi in nota vocabuli *vero* (v̊), et fere semper *f* pro *s* scriptas praebet; praeterea ultimam literam *z* per [illegible] significavit. Distinguendi nota fere semper utitur puncto, vel in minimis orationis membris, perraro signis (:) (;) et (?), nunquam commatis (,), quae alia manus verbis addidit eadem, quae hic illic distinctionem et punctum (.) in (:) vel (;) vel (?) mutavit. Praeterea inter lineas XII, 325—335 notas animadverti, mihi non cognitas [2]), quibus ad versus vel metiendos vel potius recitandos usi esse videntur; videre eas licet in tabula, quae codicis scripturam repraesentat, Nr. II.

